



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem Sancti Thomæ Tomvs ...

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Vera sententia, cap. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

rum operabilia sunt. Et ideo cum scientia Dei sit omnibus modis perfecta, oportet quod sciat ea quae sunt à se operabilia in quantum huiusmodi & non solum secundum quod sunt speculabilia. Sed tamen non receditur à nobilitate speculatiuae scientiae, quia omnia alia à se videt in seipso: seipsum autem speculatiue cognoscit, & sic in speculatiua sui ipsius scientia habet cognitionem & speculatiuam, & practicum omnium aliorum.

Summa articuli est, *Deus de seipso habet scientiam speculatiuam, non practicum: de alijs autem rebus practicum, & speculatiuam: de possibilibus quidem, quae nunquam erunt, speculatiuam: de ijs vero, quae aliquando erunt, practicum.*

DISPVTATIO LXIX.

Circa doctrinam Articuli.

*Quid senserit Scotus, cap. 1.
Vera sententia, cap. 2.*

CAPVT I.

Quid senserit Scotus.

Facilis esset iuxta definitionem Philosophi tota doctrinam huius art. nisi Scotus eam nobis diffiilem reddidisset. Ideo prius referam eius sententiam, deinde ex ijs, quae tradidi supra disp. 8. paucis explicabo, quid in hac re dicendum sit. Primum igitur Scotus in q. 4. prologi §. Si obijciatur contra hoc, ad 4. argumentum putat probabiliter posse defendi, scientiam, quam Deus de se habet, esse practicum, non quod sit de opere aliquo faciendo, sed quia praecedit affectum, ipsumque mouet: sicut eadem ratione aliqui idem opinantur de visione clara qua Deus à Beatis videtur: sed tandem in ea q. §. Si obijciatur, versiculo Licet hoc, putat probabilius esse, scientiam, quam Deus de se habet, non esse practicum: tamen si moueat affectum quia ex eius sententia, ut esset practicum, deberet esse regula voluntatis diuinae: scientia autem, quam Deus habet, non potest esse regula voluntatis Dei, quia voluntas Dei ex se regula est suarum operationum, ergo non habet rationem scientiae practicae.

Deinde docet Scot. in ea q. §. Tertius articulus, nullam scientiam, quam Deus habet de alijs rebus practicum esse: idque probat eadem ratione, quia scilicet intellectus non est regula diuinae voluntatis in productione aliarum rerum, sed ipsa sibi regula est. Id ipsum docuit in r. d. 38. q. 1. alia tamen ratione: quia videlicet ad rationem practicae notitiae pertinet dictare voluntati, aut proponere aliquid faciendum: nulla autem cognitio Deo proponit hoc modo quidquam faciendum: ergo nulla cognitio in Deo practica est. Porro nulla cognitio in hoc modo proponi Deo faciendum, probat Scot. Si n. aliqua cognitio ita dictaret, praecederet sane naturaliter omnem actum voluntatis: ac proinde non posset voluntas non velle id quod intellectus ita proponeret: ergo necessario Deus voluisset facere quae fecit, quod est absurdum. Quod vero, si cognitio naturaliter praecederet, non posset voluntas illam non sequi, non probat Scotus, posset autem hoc modo suaderi. Nam si intellectus Dei, qui decipi non potest, vltima resolutione tantquam bonum proponeret, Petrum iustificare:

quam ratione posset voluntas intellectui repugnare: Adde quod iudicium illud naturaliter praecedens omnem actum voluntatis non potest in Deum conuenire: non n. videtur maior ratio, ob quam Deo proponatur, ut bonum, Petrum iustificare, quam non iustificare, aut potius Petrum, quam Ioan. Constat autem Deum voluisse potius vnum, quam aliud: ergo non ex iudicio proponente, sed ex sua solum voluntate sic esse decreuit.

CAPVT II.

Vera sententia.

Atmet si dissenso sit vocum, non rerum, cum agitur de practico, aut speculatio: verum, ut notauimus supra disp. 8. nomina haec, *practicum & speculatiuum*, sicut & cetera omnia, quibus Theologi & Phil. vtuntur, non sunt nobis vlti panda prout libet, sed iuxta communem apud ipsos significationem. Quod si, ut dixi eo loco, practica cognitio eo dicitur, non quod moueat affectum, aut sit regula operationis eius, hoc enim accidentarium ipsi videtur: sed ex eo, quod sit de opere aliquo faciendo, & tanquam principium illius: consequitur manifeste primum scientiam, quam Deus de se habet non esse practicum: quia non est de opere faciendo: efficitur praeterea, scientiam quam Deus habet de alijs rebus, esse practicum, & speculatiuam: illa enim speculatiua est, quam habet de rebus possibilibus, quatenus consideratur à nobis per modum solius speculationis. Nam quantum sit de opere aliquo, tamen hac ratione non est de illo ut faciendum est, nec tanquam principium dirigens cum ipso comparatur: illa vero, quae est de ipsis rebus prout fieri possunt, vel aliquando futura sunt, per modum principij dirigentis practica est. Porro scientia futurorum bifariam potest considerari, primum quatenus refertur ad res secundum suam essentiam possibilem, antequam sint futurae, per modum cuiusdam dictaminis & propositionis, qua dicit intellectus, hoc, & illo modo rem illam esse faciendam, & hoc modo practica est. Deinde prout respicit ipsas res iam futuras, & dicitur scientia visionis, atque haec omnino speculatiua est: supponit enim iam res ipsas futuras, nec villo modo est principium earum: quocirca disp. 68. c. 6. diximus, hanc scientiam visionis esse non posse simul practicum, & speculatiuum, sed speculatiuum tantum: hoc autem modo sumendum esse practicum eo loco superius citato ex professo probauimus: ideo haec nunc dixisse sufficiat.

Sed rationes Scoti diluere necesse est. Primum quod spectat ad scientiam, quam Deus de se habet dicimus non esse practicum, etiam si moueat affectum, non quia ratio in Deo proponens obiectum non sit regula bene operandi: nam neque in nobis ratio ipsa est regula proxima, ut ostendemus 1. 2. quaest. 19. a. 3. sed ipsamet natura rationalis ut rationalis est; ratio vero proponens est solum regula à posteriori, ut ibi de dicemus; & tamen in nobis nullus negat esse plures notitias practicas: sed ideo scientia, quam Deus de se habet, practica non est quia non est de opere faciendo, id quod ad rationem practicae notitiae requiritur supra disp. 8. notauimus. Quod autem moueat affectum parum refert: nam speculatiua etiam, cum rem bonam considerat, quae non est opus aliquod faciendum, ad amorem illius mouere potest: practica enim, ut eo loco probauimus solum est de opere aliquo faciendo.

Prior pars sententiae Scoti.

Posterior pars eius sententiae.

Fundamentum Scoti.

3
Scientia Dei de se ipso & rebus ipsarum possibilium speculatiua.

Prior pars sententiae Scoti, cuiuslibet.

4

Ad

Ad rationem
Sicut respon-
dit Caiet.
X^o probatur.
5
Veniens solu-
tio.
6
Caietans.

Ad rationem qua probat Scotus scientiam Dei de alijs rebus non esse practicum, quia debere præuenire naturaliter affectum, &c. respondet Caietanus in hoc articulo illud dictamen, aut eam propositionem, qua voluntati proponitur bonum esse, hoc aut illud facere, non esse practicum: quia notitia practica ex sententia ipsius determinatur ab affectu: quare ipsum non antecedit: cuiusmodi est notitia artis quæ post decretum voluntatis de opere faciendo dirigit, ut hoc, aut illo modo res fiat. Verum Caietani sententia falsa est: nam quis neget dictamen prudentiæ, & iudicium quod ex consolatione elicitur, & præcedit voluntatem, aut propositionem synderesis, qua aliquis finis honestus proponitur, & omnem affectum antecedit, esse practicum? Hi enim habitus practici sunt, ergo & operationes ipsorum practicae erunt. Cur igitur solum ponitur notitia practica post affectum ad exequendum id, quod decretum est non ad mouendum etiam affectum, ut velit aliquid opus? Ergo eodem modo in Deo intellectio, quæ naturaliter præuenit omnem voluntatis determinationem, & proponit varia opera externa, ut bona, hoc aut illo modo faciendâ, sine dubio erit practica: nisi quod in Deo ea esse sine vlla consultatione. Deinde ita Deo varia proponit, quæ possit facere, ut licet naturaliter intellectus ante omnem voluntatis affectum ea repræsentet, ad nullum eorum necessario moueat. Vt n. voluntas necessario ab intellectu moueatur, non satis est, nullam esse defectum ex parte proponentis, sed oportet etiam esse omnem rationem boni in obiecto, ratione cuius voluntas necessario moueatur. Quare cum Deo proponantur varia quæ facere possit, in nullo vero voluntas inueniat omnem rationem boni, etiam si in intellectu diuino non sit defectus aliquis in proponendo; potest voluntas hoc, aut illud non velle: illud autem quod libere eligit, non ideo vult, quia ut maius bonum ei proponatur, sed quia ita vult. Deus n. non eligit vnum, relicto alio, quia vnum alteri comparat, & ut maius præferat: aliter quidem, quam nos, cum eligimus vnum medium per consultationem alio felicitatis: quam differentiam vberius explicabimus. 1. 2. quæst. 13. art. 6. An vero post practicum iudicium, quo res faciendâ proponitur voluntati, & post electionem & affectum voluntatis sequatur actus alius practicus intellectus per modum imperij, in quo Caietanus videtur operationem artis constituere, pender ex eo, quod dicturi sumus. 1. 2. quæst. 17. de actu imperij ad motionem aliarum potentiarum. Tum etiam, an in Deo talis actus debeat concedi secundum nostrum modum intelligendi, dicemus infra disp. 87. c. 2. Cæterum sine dicamus talem actum esse, quem Caiet. putat esse artis, sine non; negare non possumus, iudicium illud, quod præcedit electionem, & affectum voluntatis, & ei proponit aliquid faciendum, practicum esse: & hæcenus de scientia Dei.

enim est, ideam alicuius artis, aut esse operationem intellectus, aut aliquid illius, cumque Deus sit omnium creaturarum summus artifex, necesse est in mente illius, & artem, & ideam illarum nostro modo intelligendi constituere.

ARTICVLVS I.

Vtrum idea sint.

AD primum sic proceditur. Videtur, quod ideæ non sint. Dicit enim Dionysius 7. cap. de diuin. nomin. quod Deus non cognoscit res secundum ideam. Sed ideæ non ponuntur ad aliud, nisi ut per eas cognoscantur res. Ergo ideæ non sunt.

2. Præterea. Deus in seipso cognoscit omnia, ut supra dictum est: sed seipsum non cognoscit per ideam. Ergo nec alia.

3. Præterea. Idea ponitur, ut principium cognoscendi, & operandi, sed essentia diuina est sufficiens principium cognoscendi, & operandi omnia: non ergo necesse est ponere ideam.

Sed contra est, quod dicit Aug. in li. 83. q. Tanta vis in ideis constituitur, ut nisi his intellectis, sapiens esse nemo possit.

Respondeo dicendum, quod necesse est ponere in mente diuina ideam. Idea n. Græce, Latine forma dicitur. Vnde per ideam intelliguntur formæ aliarum rerum præter ipsas res existentes. Forma autem alicuius rei præter ipsam existens ad duo esse potest: vel ut sit exemplar eius cuius dicitur forma: vel ut sit principium cognitionis ipsius, secundum quod formæ cognoscibilem dicuntur esse in cognoscente. Et quantum ad vtrumque est necesse ponere ideam, quod sic patet. In omnibus n. quæ non à casu generantur, necesse est formam esse finem generationis cuiuscumque. Agens autem non ageret propter formam, nisi in quantum similitudo formæ est in ipso. Quod quidem contingit dupliciter. In quibusdam enim agentibus præexistit forma rei sciendæ secundum esse naturale, sicut in his quæ agunt per naturam: sicut homo generat hominem: & ignis ignem. In quibusdam vero secundum esse intelligibile, ut in his, quæ agunt per intellectum: sicut similitudo domus pro existit in mente ædificatoris, Et hæc potest dici idea domus: quia artifex intendit domum assimilare formam quam mente concepit. Quia igitur mundus non est casu factus, sed est factus à Deo per intellectum agente (ut infra patebit) necesse est quod in mente diuina sit forma, ad similitudinem cuius mundus est factus. Et in hoc consistit ratio ideæ.

Ad primum ergo dicendum, quod Deus non intelligit res secundum ideam

9
Intra text.
44 art. 3. Et
1. d. 3. q. 2. ar.
2. Et verit. 4.
13. art. 1.
Cap. 7. a
medio.
q. 14. art. 5.

Lib. 83. q. 4.
46. parum
prin. tom. 4.

9. 46 art. 1.

Lib. 3. Me-
taph. a. 10.
10. vsque ad
fin. lib. tom. 3.

QVÆSTIO XV.

De Ideis.

Post considerationem de scientia Dei restat considerare de ideis. Et circa hoc queruntur tria.

Prosequitur Doctor Angelicus, quæ pertinent ad operationem diuinam intellectus: manifestum

V. s. quæ in 1. part. Tomus I.

extra se existentem, & sic etiam Aristi: improbat opinionem Platonis de ideis, secundum quod ponebat eas per se existentes non in intellectu.

Ad secundum dicendum, quod licet Deus per essentiam suam se, & alia cognoscat, tamen essentia sua est principium operatum aliorum, non autem sui ipsius ideo habet rationem ideæ, secundum quod ad alia comparatur: non autem secundum quod comparatur ad ipsum Deum.

Ad tertium dicendum, quod Deus secundum essentiam suam est similitudo omnium rerum. Vnde idea in Deo nihil est aliud, quam Dei essentia.

Conclusio art. est, *In mente Dei sunt creaturarum ideæ*: Textus S. Thom. perspicuus est: sed ad maiorem doctrinæ illustrationem more solito quadam nobis sunt disputanda.

DISPVTATIO LXX.

Quo pacto creaturæ in Deo esse dicantur.

Quid senserit Ioannes VVicleffus, cap. 1. Catholica veritas contra VVicleffum probatur, cap. 2.

CAPVT I.

Quid senserit Ioannes VVicleffus.

S. Thom.

VVicleff.

VValden.

Ioan. Hus.

Fundamentum erroris VVicleff.

VT ea, quæ de ideis in mente Dei existentibus dicenda sunt, melius intelligantur, oportet parum conducet, explicare prius modum, quo creaturæ in Deo existere dicuntur, quæ in re cum omnes Catholici, & Hæretici communi consensu asserunt, creaturas, vt lapidem equum, hominem, &c. secundum proprias ipsarum rationes non esse formaliter ipsum Deum, sed in eo solum existere, tanquam in intelligente, ipsam et intellectioe præfinitas, vt infra explicabitur: Ioan. tamen Wicleffus peculiarem de hac re errorem secutus est: vt enim refert VValden. 1. to. lib. 1. art. 1. c. 1. vsque ad 9. assererat in proposi. 217. & 219. has duas propositiones veras esse: *Omnis creatura est deus: & quolibet est deus*: referuntur autem hæ duæ propositiones in Concil. Const. sess. 6. inter errores Ioan. Hus. discipuli Ioan. Wicleffus, quæ in scheda quadam oblara Concilio continebatur.

Eodem pacto, vt scribit idem VValden. cap. 1. & 2. Wicleffus in hunc modum assererat, *Iametsi mal. sonet, asserere, asinum esse Deum, & quolibet aliud esse Deum*: proinde multi hunc modum loquendi non admittant, nisi cum determinatione. *Secundum esse intelligibile, vel ideale quod creaturæ habent in Deo*: simpliciter tamen, & sine additamento concedi potest, vt colligitur ex illo cap. 2. explicans vterius suam sententiam, dicebat hanc propositionem in proprietate, & rigore logico veram esse. *Omnis creatura est deus*: non tamen è conuerso: *Deus est aliqua creatura*. Reddebat rationem secundum principia logicæ, quam ipse de suo cerebro confingebat, quia nomen, *Creatura* per se significat quamlibet rem creatam in se, & in suo proprio genere sicut etiam quando ponitur ex parte prædicati: quando vero ponitur ex parte subiecti, supponitur pro creatura secundum esse intelligibile, vt

in illa propositione *Creatura est deus*: eo quod secundum regulam logicorum talia sunt subiecta, quæ præmittuntur ab eorum prædicatis; hoc est subiecta determinantur, & limitantur ipsi prædicatis, quæ sunt veluti quadam eorum additamenta. Idem dicit de quolibet nomine creaturæ speciatim, vt homo asinus &c. Ex hac doctrina concedebat similiter hanc propositionem, *Omnis creatura viuus in Deo est deo coeterna*. & alias id genus.

Hunc errorem docuisse videtur Manichæus, vt indicat Fulgentius in libr. *Responsionum ad Ferrandum*, *Diaconum*, q. 2. *longe post medium*, & aperte testatur VValden. loco citato, quem inibi quoque ipse latissime impugnat: nos vero sequenti cap. confutabimus. Ceterum August. tract. 1. in Ioan. in illa verba, *Quod factum est, in ipso uita erat*, tantum contra Manichæum contendit probare, lapidem non viuere, vt ipse falso putabat, propter illa verba Ioannis, sed ideam lapidis in Deo existentem viuere, quæ est ipse Deus.

CAPVT II.

Catholica veritas contra VVicleffum probatur.

VERUM, vt clarius errorem Ioannis Wicleffus refellamus, & Catholicam doctrinam confirmemus, opera primum erit explicare, quis modus loquendi sit obiectus, quid etiam de re ipsa sentiendum sit. In primis igitur, quod attinet ad modum loquendi, non video quo pacto secundum veteris Logice doctrinam nomen illud, *Creatura*, aut *Homo*, & similia, quoties ponuntur ex parte subiecti, si nomen *Deus*, ponitur ex parte prædicati, supponatur pro creatura secundum esse intelligibile, & ideale, quo in Deo creatura esse dicitur: cum vero ponitur ex parte prædicati, non supponatur hoc modo, sed pro re ipsa in proprio genere considerata. Nam regula illa Logicorum *Talia sunt subiecta, quæ præmittuntur ab eorum prædicatis*, intelligitur, quando talia sunt prædicata, vt eo ipso indicent, subiectum in alia significatione, quam communi vni parti: veluti cum dicimus, *Homo est nomen*, ex parte subiecti, *Homo*, non pro re, sed materialiter pro voce ipsa ponitur: sed si dicamus, *Homo est animal*, prædicatum hoc non extrahit subiectum à communi sua significatione, qua tem ipsam, quæ est homo, vox illa significat. Similiter cum dicimus, *Homo est species*, subiectum, *Homo*, non significat singulos homines: sicut si diceremus, *Homo est animal*, sed naturam communem. Huiusmodi prædicata, quæ mutant significationem communem nominis positi ex parte subiecti, sunt nomina, quæ Logici vocant secundæ impositionis, qualis est hæc vox *Nomen*, vox *Species*, aut *genus*. Cum tamen prædicato est vox primæ impositionis, hoc est, quæ rem ipsam significat, non mutat communem significationem subiecti, qua ponitur pro re ipsa significata; vt est in illis propositionibus, *Homo est animal*: *homo non est lapis*: ergo similiter in illis, *Homo est deus*: *creatura est deus*, prædicatum non potest extrahere subiectum à communi significatione: eo quod ut nomen primæ impositionis, aut certe idem dicendum est de his propositionibus *Deus est creatura*: *Deus est lapis*, quando nomen *Deus* poneretur ex parte subiecti, ita vt illud prædicatum intelligeretur ea ratione, qua de Deo potest prædicari, nempe secundum esse intelligibile. Nam si prædicatum primæ impositionis limitat, aut variat

Inane VVicleffus fundam. in suo enunciat.

Regulam Logicorum non intelligit.

4